THESES CONTROVERSAE IURIS NATURAE ET GENTIUM AD DUCTUM 5. CAPIT. VLTIM...

Daniel Friedrich Hoheisel, Johann Ernst Schimmelfennig, ...

Digitized by Google

Habebuntur diſputationes ab hora X. ad XII; ſed ſi quid impedimenti obvenerit, ab hora VIII. ad X.

Digitized by Google

DISPUTATIO I.

RESPONDENTE

JOHANNE NICOLAO OEMCHEN,

Boruſſo.

d. 28. Septembr. H. L. Q. C.

Thes. I.

DOminium tribuit jus percipiendi *fructus*; cum igitur vindicans oſtendere debeat, dominium interim, dum rem alter detinuit, ſuum fuiſſe, ſequitur, ut rem vindicans, recte etiam interea temporis perceptos fructus (deductis impenſis) repetat. Nihilominus tamen ubi res in *bona fidei poſſeſſoris* manibus ſit, & is, rem ſuam eſſe exiſtimans, paulo negligentius in ea fuerit verſatus, aut *plus conſumſerit*, quam alias conſumturus fuiſſet, magnum ille ſentiret *damnum*, & quidem *ſine* omni ſua *culpa*, ſi rem una cum *omnibus fructibus* (h. e. non ſolum cum iis, ex quibus *lucrum* fecit, ſed & cum *neglectis* & per *liberalitatem* aut *ſplendorem* conſumptis) reſtituere cogeretur: Id autem vel ideo foret *iniquum*, quia bona fides tertii poſſeſſoris ſine aliquali *culpa* & *negligentia* veri domini concipi vix poteſt, quare ita temperandum eſt jus domini, ne is *negligentia ſua innocenti homini damnum conciliet.* Ergo *bona fidei poſſeſſor obſtringitur tantum ad illos fructus reſtituendos penſandosve, ex quibus factus eſt locupletior. Occaſ. Puſend. Lib. I. Cap. XIII. §. 6.*

Digitized by Google

THES. II. Utraque, quam allegavimus pro bonæ fidei poſſeſſore, ratio ceſſat poſt *litem motam*; ab eo enim tempore tam ipſe *parciores impenſas* facere atque in re *tanquam forte aliena* verſari poteſt, & dominus ab omni *culpa* ac *negligentia* abſolvi debet. Ergo *bonæ fidei poſſeſſor poſt litem motam de fructibus perceptis & percipiendis inſtar prædonis merito convenitur.* Quæ ſententia uti ſanæ rationi & Juri Romano conveniens eſt: ita optandum foret, illam per Ordinationes Proceſſuales in praxin deduci, cum certiſſimum ſit, tali modo lites (ſaltem in vindicationibus rerum motas) abbreviatum iri. *Occaſ.* §. 7. & 8. & 9. *cit. loc.*

THES. III. Pretium nec in quantitate morali (quod cum *Puſendorffio* exiſtimat *Titius*) nec in *ficta rerum magnitudine* (uti *Celeber. Dn. Wolffius in Doct. Moral.* §. 908. docet) conſiſtit: *ſed eſt medium felicitatis humanæ, liberæ alicujus hominis diſpoſitioni ſubjacens* (h. e. res vel opera, quæ eſt in commercio) *quod cum alio felicitatis humanæ medio, pariter liberæ diſpoſitioni alterius cujusdam hominis obnoxio, comparatum, ita ſeſe ad id habet, ut tantum utilitatis ex illo acquirat aliquis, quantum per jacturam hujus ipſi decedit. Occaſ. Lib. I. Cap. XIV.* §. *I. & Obſerv. Titii 328.*

THES. IV. Pretium virtuale, item intrinſecum, a pretio formali atque extrinſeco diverſum, non datur: imo pretium intrinſecum eſſe contradictionem in adjecto, dudum jam obſervavit *Illuſtr. Dn. Gundlingius in Via ad veritat. Jurisprud. nat. Cap. XXII.* §. 5. *Diſſent. Titius ad Puſend. cit. loc. Obſerv. 329.*

THES. V. Poſt ſermonem nullum reperio inventum humanum, ſocietati civili ita proficuum, quam inventum *nummi*, ſeu *pretii eminentis. Occaſ.* §. 2. *ibid.*

DISPU-

Digitized by Google

DISPUTATIO II.

RESPONDENTE

ERDMANNO FRIDER. FINGER,

Sorav. Luſat.

d. 5. Octobr. H. L. Q. C.

Thes. I.

Contractus ſeu pactum *eſt plurium in idem placitum conſenſus, invicem declaratus, atque animo jus ſibi ab altero acquirendi acceptatus, ut media felicitatis humanæ homines cum hominibus communicare queant. Occaſ. Lib. I. Cap. XV. §. 1.*

Thes. II. Quodſi igitur placitum contineat 1.) factum aliquod *nihil* omnino *ad alterius felicitatem* conferens, aut 2.) promiſſum alicujus *vagum* nimis ac *generale* ſit, quod violatum eſſe adverſus promittentem probari non poſſit; atque ita acceptari nequeat animo jus ſibi a promittente acquirendi; denique 3.) ſi promittens ſufficienter declaret, *nolle* ſe promiſſum animo atque intentione *perfecti juris acquirendi* acceptari, ſed omnia *generoſitati* ſuæ relinquenda eſſe; oritur promiſſio quædam imperfecta, quæ actionem nullam in foro producere poteſt. Cauſam hujus imperfectionis ignorantes Romani, pactis in genere obligationem denegarunt, exceptis tantum iis, quæ nomine ſuo ſpeciali ac certa forma conſtare putabant. Quare uti de Jure Naturæ fruſtra diſtinguitur inter contractus & pacta: ita ipſos Romanos hanc diſtinctionem vagam prorſus atque obſcuram ob neglectum veræ doctrinæ moralis excogitaſſe mihi videntur. *Occaſ. cit. §. I.*

Thes. III. Quamvis contractus oneroſi omnino tendere debeant ad *mutuam* contrahentium cum proportione promovendam utilitatem, inde tamen nondũ ſequitur, quod in ſtatu naturali obtentu inæqualitatis a fide data recedi queat: imo li-

 cen-

centiam hanc vel in ſtatu civili ſubditis tribui, prudentiæ legislatoriæ contrarium exiſtimo. *Diſſent. Puſend. cit. loc.* §. 3. & 4.

Thes. IV. Quamvis mandatarius ad mandatum cum fide & induſtria exequendum obligetur, nulla tamen ad id vel datur actio, vel *dari poteſt:* ex poſtfacto autem actio ad intereſſe mandanti competit. *Occaſ.* § 5. *ibid.*

Thes. V. Commodatarius de Jure Naturæ obligatur ad id, ut rem commodatam, etiam viliſſimam, incendio exorto ſervet, propriisque rebus, licet longe pretioſioribus, præferat: ſed ſtolidiſſimus foret, ſi huic obligationi *directo* ſatisfaceret. *Occaſ.* §. 6. *ibid.*

Thes. VI. Ardua eſt quæſtio: utrum emptione perfecta, ſi venditor ſibi dominium reſervet, donec pretium ſit ſolutum, atque interim res vendita pereat, *periculum emptoris* ſit, num *venditoris*? exiſtimaverim ego illam in genere decidi non poſſe, ſed ad *verba* ipſius contractus & *voluntatem* partium reſpici debere. Tutiſſimum erit, ſi venditor *non dominium* ſibi, ſed ſaltem *rei vindicationem* reſervaverit, ita enim periculum omne ſequetur emptorem. *Occaſ.* §. 9. *ibid.*

Thes. VII. Non poſſum facere cum iis, qui addictionem in diem & legem commiſſoriam *conditiones* vocant *reſolutivas* easque opponunt *ſuſpenſivis:* omnis enim conditio, vere talis, eſt *ſuſpenſiva*, atque ubi exſtiterit, *confirmat* jus alteri per ſermonem quæſitum; ſin defecerit, *reſolvit*, ſeu *tollit* illud. Addictio autem in diem & lex commiſſaria eſt *pactum de reſolvendo contractu conditionatum*, adeoque ipſe contractus principalis eſt *purus*, cui ſaltem *pactum conditionatum* adjicitur. Quisquis vero putat, hanc eſſe logomachiam, illum etiam atque etiam rogo, ut *conditionem* perſpicue definiat. *Occaſ.* §. 9. *ibid.*

Thes. VIII. *Locatio* rei immobilis non differt a *venditione uſusfructus ad certum aliquod tempus* conceſſi, ſi illa recte pactis adjectis limitetur, quare ſi hic contractus in locum illius ſubſtituatur, certiſſimum hoc erit medium evitandi, ne ſucceſſor

Digitized by Google

ſor ſingularis expellere queat conductorem aut colonum, uti in ſpeciali Programmate docui. *Occaſ.* §. *10. ibid.*

DISPUTATIO III.

RESPONDENTE

GEORGIO LEOPOLDO HOYERO,

Molhuſ. Thuring.

d. 12. Octobr. H. L. Q. C.

THES. I.

AD mutuum contrahendum non præciſe requiritur res fungibilis. *Diſſent. Puſend. Lib. I. Cap. XV.* §. *11.*

THES. II. Uſuræ hodie omni jure licitæ ſunt. *Occaſ.* §. *11. ib.*

THES. III. Fidejuſſio natura ſua *contractus conditionatus* eſt; atque ita demum juſte conveniri poteſt fidejuſſor, ſi creditor a debitore principali ſuum conſequi nequeat: quare ob ignorantiam Juris Naturæ male eundem in contractum *purum* transformarunt antiqui Romani, quam iniquitatem juſtiſſime emendarunt Principum Conſtitutiones. Sic quoque iniqua erat antiquorum doctrina, quod debitor principalis, per pactum de non petendo ſolum ſe ſtricto jure liberare poſſet, ut fidejuſſor tamen maneret in nexu. *Occaſ.* §. *14. ibid.*

THES. IV. Correalis obligatio non impedit, quo minus alter correorum, integram ſummam ſolvens, vel *totam* ſummam, vel *partem* ejus (pro natura negotii principalis) ab altero correo repetere queat: penitusque falſa & hodie otioſa eſt Juris Romani philoſophia, qua jus hoc repetendi tunc demum conceditur, ſi creditor *jura ſua* ſolventi correo *ceſſerit*, nam ex quo creditor debiti ſolutionem impetravit, omne creditoris *jus ſublatum eſt.* *Occaſ. cit.* §. *14.*

THES. V. Pactum commiſſorium, pignoribus adjectum,

per

per ſe nihil continet naturalis iniquitatis, ergo & in pignoribus ſummorum Principum valet: juſtiſſime autem propter *abuſus* non toleratur inter ſubditos. *Occaſ.* §. 15. *ibid.*

Thes. VI. Cum aliud pro alio invito creditori ſolvi atque obtrudi nequeat, ſequitur non poſſe creditorem indiſtincte cogi, ut *intereſſe* loco *facti* ipſius præſtandi, re adhuc integra, accipiat. Cœterum eo unico caſu debitorem facti, intereſſe offerentem, audiendum eſſe puto, ſi circumſtantiæ ipſius ita fuerint mutatæ, ut factum ipſum non niſi *ingenti* cum *detrimento* ſuo præſtare poſſit. *Occaſ. Lib. I. Cap. XVI.* §. *I.*

Thes. VII. Obligatio præſtationis cujuscunque ad certum tempus ex conſenſu contrahentium, aut voluntate teſtatoris adſtricta, tempore iſto elapſo exſtinguitur, vel ob exceptionem *ſolutionis*, vel deficientis *conditionis* (pro natura negotii) debitori competentem. *Occaſ* §. 7. *ibid.*

Thes. VIII. Æquitati conveniens eſt, ut damnum per dolum vel culpam alicujus datum, eo defuncto, ab hæredibus ipſius, quatenus vires hæreditatis id patiuntur, ſarciatur, licet illi ex iſto damno non facti ſint locupletiores. *Occaſ.* §. 8. *ibid.*

Thes. IX. Debitor ceſſus, qui ceſſionem ignorat, recte ſolvit creditori ſuo cedenti, & ſolvens liberatur. Male autem hoc deducitur ex eo, quod creditor cedens adhuc *ſubtili jure creditor maneat:* vera ratio eſt, quod debitori *ignorantia* facti *invincibilis* non ſit imputanda. *Occaſ.* §. 9. *ibid.*

DISPUTATIO IV.

RESPONDENTE

JOHANNE CASPARO WOLFF,

Stada-Brem.

d. 19. Octobr. H. L. Q. C.

Thes. I.

I*Nterpretatio vera* legum civilium *unica* tantum eſt, nempe *doctrinalis*, eademque ſemper eſt *declarativa*, ſaltem hoc

ſenſu,

Digitized by Google

ſenſu, quod ipſam voluntatem Imperantis civilis dubiam declaret. Vulgo ſic dictæ interpretationes *uſualis* atque *authentica* male pro interpretationibus veris & proprie dictis venditantur (vid. l. 9. in f. l. 12. §. 1. C. de LL.) *Occaſ. Lib. I. Cap. XVII. §. I.*

Thes. II. Variæ ſunt celeberrimorum virorum controverſiæ & ſententiæ de regula hac: *favorabilia latius, odioſa ſtrictius interpretanda.* Mihi, ſalva aliorum, quam magni facio, auctoritate, ita videtur: de Jure Naturæ negotia, vel favorabilia, vel odioſa eſſe, nego ac pernego, nam quod uni commodum adfert, alteri conciliat incommodum. Ut autem in Jure civili ejusmodi negotia favorabilia occurrere credam, inter alia faciunt cauſa *dotis conſervandæ, libertatis obtinendæ, cauſæ piæ* &c. Eſt quippe cauſa favorabilis, in cujus gratiam Imperans civilis peculiaria quædam jura, a communi jure recedentia, conſtituit, ut certarum perſonarum utilitatem promoveret. Exinde autem concludo, regulam hanc oppido falſam eſſe, cum *jus ſingulare minime ſit extendendum.* Idem de cauſis odioſis eſto judicium. *Diſſent. Puſend. §. 9. loc. cit.*

Thes. III. Status naturalis eſt *conſideratio* (ſeu relatio) *plurium hominum invicem ſpectatorum, quorum ſinguli ab omni imperio ac dominio humano liberi vivunt.* Unicum ejus eſt incommodum, nempe continuus metus ob defectum ſecuritatis. *Occaſ. Lib. II. Cap. I.*

Thes. IV. Polygamia ſimultanea tam a parte maris quam fœminæ repugnat regulariter ſanæ rationi. *Occaſ. Lib. II. Cap. II. §. 5.*

Thes. V. Matrimonia debere eſſe perpetua (niſi ex poſtfacto juſta divortii cauſa oriatur) jus Naturæ dictitat. *Occaſ. §. 6. ibid.*

Thes. VI. Inceſtus inter adſcendentes & deſcendentes eſt contra Jus Naturæ. *Occaſ. §. 8. ibid.*

Thes. VII. Matrimonia fratrum & ſororum, poſt multiplicatum humanum genus, in bene conſtituta republica non debere tolerari, ſana ratio docet.

B DISPU-

Digitized by Google

DISPUTATIO V.

RESPONDENTE

GEORGIO CHRISTIANO WOLFF,

Stada-Brem.

d. 26. Octobr. H. L. Q. C.

Thes. I.

IMperium parentibus in liberos competit immediate ex Jure Nat. (nequaquam vero ob *præſumptum* aut *tacitum* pactum) obligantur enim parentes ad educationem liberorum, hæc autem absque imperio fieri nequit. Unde ſi alius ſuo nomine minores educat, penes illum eſt imperium. *Occaſ. Lib. II. Cap. III. §. 2.*

Thes. II. Corruptiſſimus eſt reipublicæ ſtatus, in quo parentibꝰ jus vitæ ac necis in liberos conceditur. *Occaſ. §. 4. ibid.*

Thes. III. Juri naturali non repugnat, hominem in hominis dominio eſſe, in quo plena ſervitus conſiſtit. *Occaſ. Lib. II. Cap. IV. §. 6. Diſſent. Titius in Obſerv. 538.*

Thes. IV. Inde tamen minime ſequitur jus, ſervum pro *lubitu* interficiendi, quamvis in familia ſegrege Dominus ſervum *pœna* ultimi ſupplicii adficere poſſit.

Thes. V. Civitates non ob *ſolam* hominum *deſtinatam malitiam* cœperunt; ſed potius multiplicato genere humano, familiæ, eundem terræ tractum incolentes, tum ob *doloſas*, ſeu *per deſtinatam malitiam;* tum per *ignorantiam juris* vel *facti* commiſſas *læſiones* ortasque *colliſiones*, ſine ſocietate civili ſubſiſtere non potuerunt. *Occaſ. L. II. Cap. V. §. 7.*

Thes. VI. Primas reſpublicas per duo pacta & unum decretum (uti exiſtimat Pufendorffius) conditas fuiſſe, nullam meretur fidem. Probabile eſt, primas reſpublicas Democraticas fuiſſe, ad quas condendas hoc unicum pactum ſingulorum patrumfamilias vicinorum ſuffecit, quo ſeſe ad id obſtrinxerunt, ut controverſia exorta, vel imminente læſione, cauſa ad concilium ipſorum deferretur, & deciſio, mediantibus plurimorum votis facta, conjunctis viribus daretur executioni. *Occaſ. L. II. C. 6. §. 8.*

Thes.

Digitized by Google

Thes. VII. Majeſtas a Deo recte eſſe dicitur hoc ſenſu, quod jure Naturæ hominibus multiplicatis ſit injunctum, ut reſpublicas conderent. *Occaſ.* §. *14. ibid.*

Thes. VIII. Quisquis accuratum conceptum Majeſtatis veræ ſibi formare vult, diſtinguat neceſſe eſt inter *nomen* & *rem ipſam*: neque enim ſequitur, ibi veram adeſſe majeſtatem, ubi nomen ejus occurrit, ſic Reginæ, majeſtate deſtitutæ, nomine hoc atque elogio ornantur: prouti nec vice verſa a defectu hujus nominis ad deficientem rem ipſam conſequentiam procedere, exempla rerumpublicarum polyarchicarum demonſtrant. *Vera* ac *realis Majeſtas eſt ſumma poteſtas humana in civitate, Imperanti* (homini vel concilio) *competens, qua per juſſus, coactiones & præmia ſubditorum voluntates ac totius reipublicæ vires diriguntur ad communem omnium ſalutem. Occaſ. L. II. C. VII.* §. *1. & obſerv. Titii 569.*

Thes. IX. Rectiſſime contendit Titius *citata Obſervat. num. 2.* majeſtatem ut complexum variorum jurium conſiderandam eſſe, quare ſi quædam jura a Monarcha communicentur cum aliis, reſpublica polyarchica evadit. Cum itaque hæc diviſio jurium majeſtaticorum procedat, nulla mihi apparet ratio, cur non quædam jura majeſtatica, eademque ſumma, in doctores eccleſiæ aut academiæ conferri queant, qui tamen tali modo *duplicem* jam *perſonam* ſuſtinebunt.

Thes. X. Non pendet a principis libera voluntate, actus quoscunque per leges civiles *licitos* declarare. *Occaſ. L. II. Cap. VII.* §. *2. Diſſent. Hobbeſius de Cive. Cap. VI.* §. *9.*

DISPUTATIO VI.

RESPONDENTE

JOH. ERNESTO SCHIMMELFENNIG,

Gedan.

d. 2. Novembr. H. L. Q. C.

Thes. I.

P*Artes* ſummi imperii *omnes* in ſingulis rebuspublicis deprehenduntur, nec unquam abeſſe quædam poſſunt. *Occaſ. L. II. Cap. 7.* §. *9.*

Digitized by Google

Thes. II. Reſpublica *irregularis* ideo non ſtatim *male cohærens* eſt; prouti nec Monarchiæ, Ariſtocratiæ & Democratiæ nomen rerumpublicarum *regularium* ex hac cauſa tribuitur, quod *perfectiores* ſint aliis formis. *Occaſ. cit.* §. 9.

Thes. III. Quænam forma rerumpublicarum ſit optima, inter politicos quæritur? Aut ſermo eſt de republica *conſtituenda*; aut *conſtituta*. Si hoc, forma, quæ adeſt, optima reputari debet, quoties illa ſine periculo reipublicæ mutari nequit, & merito *bonus civis* ab ejusmodi mutationibus *abhorret*: Sin illud, Ariſtocratia omnibus præferenda videtur. *Occaſ. L. II. Cap. VIII.* §. 4.

Thes. IV. Omne imperium civile eſt ſummum, nec is, cui illud vere competit, populo aliive ad rationes reddendas eſt obnoxius, tametſi delinquat. *Diſſent. Titius Obſerv. 594. num. 2. ſeqq.* Errant igitur, qui majeſtatem realem populo, perſonalem vero Imperanti civili tribuunt, hunc illi ſubjicientes. (*vid. Puſend. de Jure Nat. & Gent. Lib. VII. Cap. VI.* §. 4. *ſeqq.*) *Occaſ. Lib. II. C. IX.* §. 1. & 2.

Thes. V. In Monarchia atque Ariſtocratia limitata imperans ſtare debet pactis cum populo initis. (*Diſſ. Hobbeſius, vid. Puſend. de Jure Nat. & Gent. Lib. VII. Cap. VI.* §. 13.) *Occaſ.* §. 6. *ibid.*

Thes. VI. Anceps eſt inter Juris Nat. Scriptores controverſia: qualis ſit reipublicæ ſtatus tempore interregni, ſi in legibus fundamentalibus de Vicario nihil ſit cautum? mihi videtur, imperium ſummum tunc eſſe penes Status regni, vel ſi tales deficiant, penes magiſtratus, ſed rerum geſtarum futuro Imperanti aliquando rationes reddituros. *Occaſ. Lib. II. Cap. X.* §. 4.

Thes. VII. Principis furioſi, mente capti, aut impuberis tutelam merito is ſibi vindicat, cui proximum ſuccedendi jus, ſi ille deceſſerit, eſt quæſitum: & talis ipſi etiam matri atque ei, qui teſtamento ſcriptus eſt tutor, quoad adminiſtrationem regni eſt præferendus.

Thes. VIII. Quoto ætatis anno minor imperii faſces ipſe capeſ-

Digitized by Google

capeſſere queat, ſi hac de re in legibus fundamentalibus nihil ſit cautum? ardua eſt quæſtio. Ingenioſe contendit *B. Dn. L. B. de Printzen in Diſſert. de Tutelis illuſtr.* (quæ habetur in *B. Dn. a Cocceji Diſput. Tom. I. Diſp. 84.*) ad tempus pubertatis in dubio reſpiciendum eſſe.

THES. IX. In regnis hæreditariis, quæ libera populi voluntate ab initio ſunt collata, ſucceſſor quidem regnum *populi beneficium* ex pacto & providentia majorum ſibi delatum, nequaquam vero *beneficium anteceſſoris* reputare debet: nihilominus tamen valida eſt renunciatio in regnum, ſuo & deſcendentium ſuorum nomine facta, quam vel expreſſe, vel tacite populus approbavit. *Occaſ. L. II. Cap. X. §. 9. in fin.*

DISPUTATIO VII.

RESPONDENTE

CONRADO DIETERICO VOLCKMANNO,

Hamburg.

d. 9. Novembr. H. L. Q. C.

THES. I.

AN & quatenus ſubditus Principi (aut magiſtratui) mandatum ſpeciale danti, obtemperare debeat, agitatiſſima eſt quæſtio: ante omnia conſiderandum putaverim, utrum Princeps aliquid mandet, *qua talis*, an *qua privatus;* (veluti ſi vineam tuam, aut hortum abs te ſibi vendi velit, ut ſaltem privatis uſibus ſuis inſerviat;) hoc caſu *juſtum* quidem, ſed rariſſime *prudens* eſt, obedientiam denegare. Illo caſu aut ſubditus mandatum exequens *non poteſt non* de juſtitia vel injuſtitia facti informari, & tunc, hac deprehenſa, obſequium *declinare debet*; aut mandatum executioni dari *poteſt*, ut de juſtitia mandati *in neutram partem* aliquid conſtet, quo caſu civis, juſtitiæ injuſtitiæve *ignarus*, mandatum *juſte exequitur. Occaſ. L. II. Cap. XII. §. 9.*

THES. II. *Pœna humana eſt ingrata ſenſio, præter damni dati reparationem delinquenti ob delictum* (ſeu violationem obligatio-

 nis

Digitized by Google

nis ſuæ a ſciente & volente admiſſam) *a magiſtratu illata, ut metu iſtius mali cives a tali patrando facinore revocentur. Occaſ. Lib. II. Cap. XIII.* §. *4.*

Theſ. III. Nullum datur bellum punitivum (Diſſent. *Grotius* & *Seldenus vid. Puſend. de Jure Nat. & Gent. Lib. VIII. Cap. III.* §. *4.) Occaſ. antea cit.* §. *4.*

Theſ. IV. Rectiſſime Puſendorffius jus puniendi Principis a *pacto* civium *generali*, quo ſumma poteſtas ipſi conceſſa eſt, derivat, nequaquam vero a conſenſu ipſius delinquentis. (Diſſent. *Titius in obſerv. 643.) Occaſ.* §. *5. ibid.*

Theſ. V. Qualis juſtitia in determinandis pœnis locum habeat, inter Juris Nat. ſcriptores quæritur. Æquum eſt, pœnas *capitales* promiſcue omnibus *ejusdem delicti* reis infligi; intuitu autem *generis mortis* Princeps merito ad perſonas quodammodo reſpicit: aſt pœnas *non capitales* certis delictis ſine omni perſonarum reſpectu ſimpliciter ſtatui, nec æquum nec prudens videtur. Unde pœnæ *capitales in genere* ſecundum juſtitiam *commutativam* infligendæ ſunt; *genus* vero *mortis* & *pœnæ non capitales* ſecundum juſtitiam *diſtributivam* dictari debent. Cæterum præſtat, ab obſcuris hiſce juſtitiæ denominationibus abſtinere. *Occaſ.* §. *17. & 18. ibid. Add. obſerv. Titii 654. in fine.*

Theſ. VI. Quodſi quis *infamia iuris* notatus fuit, qui *infamia facti* non ſimul laborat, is ſimulac in aliam ſeſe rempublicam receperit, nulla amplius laborat infamia. *Occaſ. Lib. II. Cap. XIV.* §. *10.*

Theſ. VII. *Verus honor eſt convictio de perfectionibus ac prærogativis egregii alicujus hominis, quas quis ſua ſibi induſtria acquiſivit, atque ad promovendam aliorum ſalutem applicavit.* Ex quo patet honorem eſſe in poteſtate honorantis, non honorati. *Occaſ.* §. *11. ibid.*

Theſ. VIII. Quamvis in ſtatu civili homines cogi queant ad exhibenda aliis externa honoris ſigna, ex theſi tamen præcedenti patet, eo certius verum honorem, qui philoſo-

phi-

nicum ingenium deceat, adeſſe, quo magis *libere* quis honoratur. *Occaſ.* §. *12. ibid.*

Theſ. IX. Splendor tituli, regni & familiæ antiquitas ac potentia per ſe non faciunt, ut ſummus Princeps præ alio ſummo Principe præcedentiam ſibi vindicare queat; ſed hæc inter ipſos fundatur unice in *pacto*, ſive *expreſſo*, ſive *tacito*. Diſſent. *Puſendorffius* §. *15. ibid.*

Theſ. X. In ſingulis rebuspublicis peculiares acquirendi modi pro indole ac fertilitate locorum Principi per *pacta fundamentalia*, aut etiam ipſo *uſu* ſolent eſſe *aſſignati*, ut eo minus ſubditi per tributa, ex propriis bonis ſolvenda, graventur. Inter illos acquirendi modos etiam referendum eſt jus occupandi res domino privato deſtitutas, veluti metalla, feras beſtias &c. Quare hoc jus non ſimpliciter *omni* imperanti in *quavis republica*, ſed ibi demum, ubi iſte modus acquirendi ſpeciatim Principi *conceſſus* eſt, competit. *Occaſ. Lib. II. Cap. XV.* §. *5. atque Obſerv. Titii 681.*

DISPUTATIO VIII.

RESPONDENTE

JUSTO FRIDER. BERNH. HELMKAMPFF,

Brunſv.

d. 16. Novembr. H. L. Q. C.

Thes. I.

NOn eſt juſta belli cauſa creſcens nimis alterius Principis potentia. *Occaſ. Lib. II. Cap. XVI.* §. *4.*

Thes. II. Pax ab induciis, licet *ad multos annos* initis, adhuc longe differt. Nimirum *pax eſt pactum, quo illi, quorum nomine bellum geſtum fuit, ſtatum iſtum hoſtilem ſub certis conditionibus tollunt, ac plene ſibi invicem de juribus controverſis tali modo ſatisfactum eſſe ſignificant, ad hunc effectum, ut jam alter ab altero, de bello, ob iſtas controverſias, earumque occaſione ortas læſiones, denuo inferendo, ſecurus*

rus

rus eſſe debeat. Induciæ autem ſunt pactum, de actibus bellicis ad aliquod tempus intermittendis, ut, tempore iſto elapſo, eo melius quælibet pars jura ſibi competentia ab altera impetrare queat. Ergo per pacem cauſa exorti belli tollitur, nequaquam per inducias. *Occaſ. §. 16. & 17. ibid.*

Thes. III. Eleganter *Grotius de Jure Belli & Pacis Lib. III. Cap. XX. §. 27. ſeqq.* docet, differre ab invicem, *novam* belli *cauſam* præbere & *pacem rumpere:* id quod male improbat *Titius ad Pufend. Obſerv. 713.*

Thes. IV. Quodſi miniſter Principis ſponſionem quandam cum alio Principe iniit, Princeps ſponſoris non obſtringitur ad implenda iſta promiſſa, antequam ea ratihabuerit, nec ad deditionem ejusmodi miniſtri obligatus eſt. *Occaſ. Lib. II. Cap. XVII. §. 8.*

Thes. V. Officium boni civis eſt, de pravis Imperantis moribus tacere, libere autem de illis loqui non periculoſum tantum, ſed & injuſtum eſt. *Occaſ. Lib. II. Cap. XVIII. § 3. (Diſſent. Titius Obſerv. 727.)*

Thes. VI. Quisquis officium aliquod in republica ambit aut ſuſcipit, ad quod ſe ineptum eſſe novit, licet hominibus glaucoma aliquod poſſit objicere, nebulo eſt perditiſſimus. *Occaſ. §. 6. ibid.*

Thes. VII. Qui doctrinas morales docent Philoſophi, nihil aut certe parum utilitatis adferunt reipublicæ ſuisque diſcipulis, niſi ſolidiſſimis rationibus ac demonſtrationibus eos de veritate doctrinarum ſuarum convincere allaborent. *Occaſ §. 9. ibid.*

Thes. VIII. Juſte quidem Princeps tempore imminentis belli priſtinos cives ſuos, alibi degentes, in patriam revocat, atque vbi redire nolint, bonis in patria ſitis privat: aſt ubi illi æquo animo ferre velint hanc jacturam, ad reditum ipſum non obligantur. *Occaſ. §. 15. ibid. & obſerv. Titii 737.*

Thes. IX. Nemo contra patriam aliamve rempublicam, cujus civis eſſe antea bona fide, & Principe non prohibente, deſiit, conſilia dare opemque ferre prohibetur. *Occaſ. Pufend. & Titii cit. loc.* Niſi in priori republica jurejurando ad id ſeſe obſtrinxerit, quod nihil contra intereſſe Principis, etiamſi dimiſſus fuerit, unquam ſit ſuſcepturus: Ita enim conſenſus Principis in diſceſſum eſt *conditionatus* ac *reſtrictus.*

(o)

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google